

ista: Homo est equus. In præsentia tamen non est sermo in hoc sensu, sed solum ratione unionis substantialis: tamen.

XII. Probatur conclusio: In hac propositione: Deus est homo, ly Deus determinatur ut supponat pro Filio Dei, non quomodocumque, sed unito humanæ naturæ tamquam suppositum ejus, loco suppositi proprii, et naturalis; ergo ratione hujus suppositi propositio est per se, et essentialis. Patet consequentia: Quotiescumque aliquod prædicatum specificum prædicatur de singulari, est prædicatio essentialis pertinens ad secundum prædicabile; sed Deus humanatus est singularis homo, scilicet Christus, quia hæc est vera: Hic (designato Christo) est singularis homo; ergo hæc propositio: Hic homo (designato Christo) est homo, est propositio essentialis, sed facta suppositione, quod ly Deus accipiatur pro Filio, et non quomodocumque, sed pro supposito humano in hac humanitate singulari, idem sensus est: Deus est homo, atque: Hic homo est homo, quia est dicere: Deus humanatus est homo; ergo est essentialis, sicut ista: Hic homo est homo, eodem Christo designato.

XIII. Primum vero antecedens probat D. Thomas ex illo communi axioma dialecticorum: Talia sunt subjecta qualia permittuntur ab eorum prædicatis, et refert se ad primam partem, quæst. xxxix, art. iv, ubi ad tertium eandem doctrinam ex professo tradit, et probat. Hæc propositio: Deus generat, est vera; ergo subjectum proponit pro parte; ergo ratione prædicati generat, alias pro quocumque alio supponeret esset falsa, et erronea; sed de ipso Patre essentialiter affirmatur prædicatum, scilicet generat; ergo similiter quotiescumque ponitur aliquod prædicatum, quod determinet subjectum ad speciale suppositum, verificabi-

tur propositio absolute ratione talis determinationis pro illo supposito, et juxta modum, quo prædicatum convenit illi supposito. Cum autem in hac propositione: Deus est homo, ly homo determinet subjectum ut supponat pro Filio ut supposito humano, et esse suppositum humanum sit per unionem substantialem, restat quod propositio in tali determinatione vera sit, et etiam essentialis.

XIV. Confirmatur, quia homo univoce prædicatur de Christo, et de Petro ut fatetur dubio secundo, dicens non posse cadere hoc in dubium apud catholicos; ergo sicut ista est essentialis: Petrus est homo, ita ista: Deus est homo, vel: Christus est homo, quia tam vere, et proprie Deus est homo, sicut Petrus; et tam vere, et proprie est Filius Virginis, sicut Petrus suæ matris, et non solum materialiter, sed quod prædicatio ipsa est univoca. De quo plura Concilia loquuntur, ut Lateranense sub Martino IV, et sexta Synodus. Propter quod bene advertit ipse Suarez quarto dubio, quod propositio debet concedi substantialis, et non accidentalis, sed ex hoc ipso vincit, quod debet concedi essentialis et per se, quia supposita substantiali unionem propositio est per se, et essentialis: patet hoc, quamvis Petrus possit dissolvi quantum ad existentiam, tamen quando existit, et quando non existit, non solum verificatur quod est homo, ita quod propositio sit substantialis, sed etiam essentialis, quia essentia semper manet; ergo similiter ista: Deus est homo, quamvis unio possit dissolvi, tamen dum illa manet, quia non minus substantialiter est homo, quam Petrus, tam essentialis est ista: Deus est homo, sicut ista: Petrus est homo, ut ad confirmationem magis explicabitur.

XV. Secunda conclusio: Hæc pro-

positio: Deus est homo, est in materia naturali ratione suppositi, sicut ista: Petrus est homo. Hæc est D. Thomæ hic ad primum. Et sensus non est, quod illa unio sit naturalis, seu ex principiis naturæ, sed supposita hac supernaturali unionem homo prædicatur de Deo, sicut species de sua hypostasi, sicut de socrate, et de Platone inquit D. Thomas in fine corporis. Et ratio est jam posita in præcedenti, quia prædicatum specificum naturaliter convenit singulari illius speciei; ergo supposito quod Deus est singularis homo per incarnationem, prædicatum specificum quod de illo prædicatur prout sic facit propositionem in materia naturali.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Ad primum respondetur cum Cajetano hic, quod prædicatum potest esse de essentia subjecti dupliciter in aliqua propositione; aut ratione suppositi subjecti, aut ratione formæ significatæ per illud. Primo modo est in præsentia, et hoc sufficit ut sit propositio essentialis, et per se. Ad impugnationes respondetur, quod ly homo est de intellectu subjecti ut suppositi eo modo, quo suppositum humanum formaliter non potest intelligi sine humanitate.

XVII. Ad secundum, quod prædicatum, quod est de essentia subjecti ratione formæ significatæ debet convenire omni contento sub subjecto; quando vero solum est essenziale ratione suppositi determinati, quia subjectum restringitur ad illud suppositum, non debet convenire alteri supposito. Ad tertium respondetur, quod verum est, quod ly Deus determinatur ad determinatum suppositum ratione prædicati.

XVIII. Contra replicat Vazquez

capite secundo citato, quod subjectum non potest determinari a prædicato; tum, propter illam suam doctrinam communem, quod nomina concreta supponunt pro natura connotando suppositum; tum, quia dato, quod supponat pro supposito, et non pro natura, nulla est ratio quare dicitur quod in dicta propositione subjectum determinatur ad speciale suppositum, quia nullum est nomen per quod significetur talis determinatio; tum, quia dato quod determinetur a prædicato, talis propositio erit accidentalis, quia homo non convenit essentialiter Filio Dei.

XIX. Respondetur, quod illa doctrina Vazquez est falsa, et contra communem regulam dialecticorum, ut inferius etiam dicemus, et ex illa sequitur, quod hæc propositio: Deus est homo, absolute sit falsa; quod tamen ipse non audet asserere. Probatur sequela: Sua doctrina est, quod nomina concreta supponunt directe pro natura connotando suppositum, et sic hæc propositio: Deus est homo, facit hunc sensum, quod natura divina connotans suppositum est natura humana connotans suppositum, qui sensus est falsus, quia istæ duæ naturæ, quæ connotant idem suppositum non sunt idem, sed distinctæ, et falsum est dicere, quod una est alia; ergo si ly Deus supponit pro natura divina, et ly homo pro natura humana, erit sensus, quod natura divina est natura humana, qui est sensus falsus.

XX. Ad illud, quod nullum est nomen determinans, etc. respondetur, quod determinatur a prædicato sicut in ista: Deus generat, Deus est genitus, Deum de Deo, quæ omnes sunt veræ, et de fide, et non nisi ratione determinati suppositi subjecti, quæ determinatio provenit a prædicato, et non est necessarium aliud nomen, et regula est dialectica

jam allata: Talia sunt subjecta quæ permittuntur (quoad suppositionem) ab eorum prædicatis. Ad quam dicitur, quod non erit propositio essentialis, respondetur, quod supposita unione substantiali est essentialis ratione suppositi.

XXI. Ad secundum principale respondetur, quod si propositio esset essentialis, quia prædicatum conveniret subjecto essentialiter ratione formæ significatæ, esset vera cum reduplicatione absolute, quia reduplicatio absolute posita, reduplicat supra formale, ut docet D. Thomas articulo undecimo citato, et duodecimo sequenti: in præsentem autem hæc propositio solum ponitur essentialis ratione suppositi, et ideo non tenet cum reduplicatione.

XXII. Replicat Vazquez contra Cajetanum dicendo, quod est dialectica particularis, et quod in hac propositione: Filius Dei est homo, vel: Verbum Dei est homo, ubi suppositum est etiam significatum, sequeretur, quod cum reduplicatione esset vera, quia reduplicat supra suppositum, et in hoc inquit capere Cajetanum laqueo.

XXIII. Sed laqueus contritus est, quia in his reduplicatio ut fieret supra suppositum debebat esse sic: Verbum Dei in quantum Verbum unitum humanitati est homo, quia ut dictum est in notatione pro conclusione, ly homo determinat ad suppositum divinum, non prout in natura divina, sed prout in natura humana, et ut esset vera cum reduplicatione deberet reduplicatio significare etiam hanc formalitatem suppositi humani, et non solum significatum Verbi, quod poterat videre Vazquez in Cajetano hic, §. Ubi patet.

XXIV. Ad ultimum respondetur, quod propositio in materia naturali est æternæ veritatis; et hæc propositio: Deus est homo, antequam esset

unio, et si postea dissolveretur desineret veritas; tamen quamdiu est unio, prædicatum naturaliter convenit subjecto, et solum probatur, quod non est in materia naturali, nisi supposita supernaturali unione; illa vero quæ est in materia naturali absque aliqua suppositione est æternæ veritatis absolute.

XXV. Ad confirmationem respondetur, quod est magna æquivocatio; non enim est intentum secundæ conclusionis, quod hæc propositio sit in materia naturali, hoc est, quæ habeat connaturalem connexionem, sed quod supposita supernaturali unione, et connexionem jam prædicatum convenit subjecto ut formaliter tali, sicut singulari contento sub prædicato specifico; et quia humanitas singularis est ratio quare prædicetur prædicatum specificum, quotiescumque ponetur illa ex parte suppositi subjecti prædicatum homo, naturaliter convenit supposito hujus humanitatis, ita ut nunquam neque in æternitate possit excogitari suppositum hujus humanitatis, et quod non verificetur de illo prædicatum specificum homo; sicut dicitur de ista: Petrus est homo, non ratione existentie singularis, sed ratione essentialis. Ita de essentiali hujus uniti per intellectum apprehensa, semper est subjectum de quo semper prædicatur homo; et in hoc sensu est æternæ veritatis sicut ista: Petrus est homo.

ARTICULUS II.

Utrum hæc sit vera: Homo est Deus?

I. Conclusio: Supposita veritate mysterii incarnationis, hæc est vera, et propria: Homo est Deus, sicut altera: Deus est homo.

II. Circa istum articulum non est nova difficultas, sed omnes quæ occurrere possunt, omnino sunt similes, atque articuli præcedentis, et eodem modo diluentur. Notandum est autem, quod in hac propositione: Homo est Deus, subjectum trahitur a prædicato, ut supponat determinate pro supposito divino subsistenti in natura humana. Quare audiendus non est in hac parte Suarez, quia in commentario hujus articuli affirmat, quod de suppositione illius subjecti homo parum refert si dicatur, quod supponit indefinite, aut quod trahitur a prædicato ad supponendum pro tali supposito determinate, quia utroque modo ait, propositio est æque vera, et prior modus videtur magis consentaneus usui communi talium terminorum. Sed certe hoc, ut objecimus articulo præcedenti contra Durandum, est abuti terminis, et nimiam tribuere licentiam loquendi in mysterio incarnationis, quia si subjectum hujus propositionis; Homo est Deus, supponit indefinite, etiam subjectum hujus: Homo non est Deus, eodem modo supponet, et consequenter cum habeat infinita singularia vera, concedi poterit illa propositio, videlicet; Homo non est Deus, quod supposito incarnationis mysterio, nullus catholicorum audebit concedere, sicut nec istam: Deus non est homo. Affirmandum ergo est subjectum illius propositionis: Homo est Deus, supponere determinate, sicut objectum hujus: Deus generat.

ARTICULUS III.

Utrum Christus dici possit: Homo Dominicus?

I. Conclusio: Non potest dici vere, et proprie, quod ille homo, scilicet, Christus sit Dominicus, sed quod sit Dominus.

II. Pro explicatione hujus articuli breviter notandum est omnem illam propositionem denominativam, quæ indicat distinctionem suppositorum repugnare huic mysterio, et hujusmodi est illa de qua S. Thomas in hoc articulo disputat, et regulariter omnia prædicata denominative sumpta a natura divina talem distinctionem videntur dicere, excepto hoc nomine divinum, ut docet S. Thomas solutione ad tertium. Quare si fiat argumentum: Ex eo quod Filius est Verbum Dei, dici potest Verbum divinum; ergo ex eo quod sit Verbum Domini poterit dici Verbum Dominicum, respondetur negando consequentiam, propter diversum modum significandi terminorum, juxta acceptionem communem, quia ly Dominicum importat distinctionem suppositorum, non autem divinum.

III. Nihilominus contra arguitur: Quia in hac propositione: Christus est homo Dominicus, fit sensus, quod ratione humanitatis Christus sit Dominicus, sicut caro ejus dicitur Dominica; ergo sicut ista est vera, et conceditur, similiter et prima. Consequentia videtur nota; et antecedens probatur, quia juxta regulam dialecticorum, quando substantivum, et adjectivum ponuntur a parte unius extremi fit appellatio, qua ratione hæc propositio: Christus est homo temporalis, facit hunc sensum, quod ratione humanitatis est temporalis, et ideo est vera; ergo similiter in altera: Christus est homo Dominicus.

IV. Respondetur, quod illa propositio in prædicto sensu, et cum illa appellatione vera est, et in tali sensu usi sunt ea aliquando sancti patres, quos adducit Suarez in commentario articuli. Sicut etiam, quia Deus assumpsit naturam humanam dixerunt Augustinus, et Ambrosius: «Tu ad liberandum suscepturus homi-